

Nedeliczensis Tricesimae Exactorem, in rationem praelibatam, Exactori Regni ordinario administranda declaratur. *)

Ut Magister Protonotarius Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae non solum in Diaetis, in Tabula Regia, verum etiam in Judiciis Octavalibus ordinariis et extraordinariis, ac Brevibus; locum, votum et diarium habeat.

Articulus 76.

Status et Ordines benigno suae Majestatis Sacratissimae accedente Consensu decernunt; ut Magister Protonotarius Regni Croatiae et Slavoniae, ac sui in eodem Officio Successores, non solum in publicis Diaetis, verum in Judiciis Octavalibus, ordinariis et extraordinariis, ac Brevibus; locum, votum et diarium, adinstar aliorum Protonotariorum habeat.

Civilitas Segniensis Gravamina et Querelae; Commissione mediante determinandae.

Articulus 77.

Ut Domini Commissarii in Articulo 23. pro rectificandis metis denominati, gravamina quoque et omnes difficultates Civitatis Segniensis determinent; et juxta Leges superinde prioribus Diaetis editas, signanter vero Articulos 96. An. 1659. Art. 69. An. 1655. et Art. 32. An. 1649. et Privilegia ejusdem Civitatis, executioni indilate demandent; conclusum est.

§. 1. Neque permittet sua Majestas Sacratissima, ut deinceps ab ejus Officialibus, Capitaneis, aut Generalibus, ipsi Segnienses in suis turbentur Juribus et Privilegiis; sed omnes injurias ac violentias, non solum graviter inhibere, sed et Transgressores severe puniri curabit. **)

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS DECRET. QUARTUM. ANNO DOMINI 1687.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

Sacrae Caesareae et Regiae modernae Majestatis, Serenissimorum Masculorum Haeredum Primogeniti, pro naturalibus et Haereditariis Regni Ungariae, Partiumque eidem annexarum Regibus declarantur.

Articulus 2.

Et siquidem sua Majestas Sacratissima, Caesarea et Regia, Victricibus et Glo-

*) Urgetur et firmatur; An. 1715. a. 115. Confirmatur et extenditur; An. 1741, a. 54.

**) Huc facit; An. 1741. a. 56.